

1495 concilio ad speciem quærendarum ab eis sententiarum coacto, illum, qui ad concilium venerat, retinuit, nec nisi pace cum rege facta dimisit. Romæ Carolus complures dies commoratus, Alexandrum, qui cum fœdus certis conditionibus percusserat, separatim primo, deinde publico in concilio salutavit, ejus ad pedes advolutus, solemnibusque sacris ministrante illo interfuit. Post hæc Pontifex Episcopum Maclovienfium, cujus unius magnopere consiliis rex omnibus in rebus nitebatur, petente rege, Cardinalem creavit: navesque onerariæ viginti com meatum e Gallia provincia regis exercitui supportantes, ad Centumcellarum portum appelluntur. Iisdem prope diebus ex tribus Venetorum longis navibus, quæ publice in Britanniam ad mercaturam exercendam mittebantur, duæ in Oceano tempestatis vi absorptæ sunt fluctibus: quibus in navibus complures ex ipsa nobilitate cives, reliqui amplius quingenti perierunt: mercium ad quater mille auri libras summa deperdita. quod quidem antea nunquam acciderat, ut ejusmodi naves, terra non tacta, mari atque undis absumerentur: tametsi anno ab urbe condita millesimo decimosexto duæ item naves longæ onustæ mercibus eo ipso in mari ventorum contumelia impactæ littoribus sunt amissæ.

XVII. kal.
febr.

Alfonfus
Ferdinando
filio Neapo-
litanum re-
gnum tra-
dit,

& moritur
XIII. kal.
dec.

Dum ea Romæ apud Carolum geruntur, Alfonso suis rebus plane diffidens, Ferdinando filio Neapolim accersito regnum tradit, Federico fratre adhibito: eumque uti Deos immortales vereatur, monet. Ea oratione apud filium habita, in arcem, quæ est in oppidi littore, & mari undique alluitur, quæ *castellum ovi* appellatur, noctu se contulit, ut naves longas conscenderet. quod tum facere austro magno coorto vento prohibitus, paucis post diebus nactus idoneam tempestatem in Siciliam transmissit, eoque anno in Panormitano agro privatus moritur. Ferdinandus, profecto patre, regni principibus quatuor, qui erant in custodia, primum omnium dimissis, oppidum in veste regia una cum Federico patruo perequitavit: salutatusque rex cum se ad carceris parietem contulisset, reclu-